

Aurora Medicorum cap. 37. p. 379. qui nihil aliud inibi tractat, quam quod explicet purgantia, adeo ut nullus sit auctor, qui melius & conuenientius scripserit de purgantibus, quam *FREITAG. in cit. tract.* Et quidem non tantum internè adhibita: radix bryoniae curat *hydropem*, sed externè etiam contusa, vel succus applicatur cum stercore vaccino, vel etiam columbino: sic enim similiter solet evacuare aquas hydropicorum. Applicatur etiam *pedibus edematosis* it. in *Hernia hydrocele scroti* & similibus, in quibus eodem modo applicata radix contusa vel succus applicatus *evacuant serum & tumores discutunt.* In substantiâ nunquam vel raro usurpatur, sed saltem in infuso ab ℥ss. ad ℥vi. *ZACVI. lib. 1. Med. Princ.* Habet exemplum curatæ *Melancholiae* per usum bryoniae. Hoc certum est, qui norunt corrigere ad. Bryoniae venenum laxativum, satis potens habent uterinum præcipue ad mensium affectus non contemnendum, & medicamentum diureticum ad *evacuandas* ∇ *hydropicorum*, quod fuit *HELMONTII*, de quo vid. *tract. Hydrops ignotus.* Inter præparata est *FOECULA*, quæ nullius est usus ac potestatis. *NECTAR SUCCOSUM* non inconueniens est remedium, cuius præparationem vide apud *AUCTOREM*; *unguentum Agrippæ* adhibetur externè inunctione stomachi vel umbilici, non verò internè tutò assumitur, ab eoque *evacuatur serum* ex intestinis per alvum. Descriptionem ejus vide ap. *ZWOLFERYM. FABER in Myrothecio spagyrico lib. 6. cap. 10.* Habet præparationem *SYRUPI EX BRYONIAE SUCCO*, \ominus ejus & saccharo, quem commendat ad *morbos virginum*, in specie ad *cachexias virginum.*

CARTHAMUM sive CNICUS.

ITa usitatissimè vocatur: cognita est planta propter florem croceum, quo flore solet adulterari verus crocus. Usitata sunt ex hoc *FLORES* & *SEMEN*; *potenter purgat semen*, & tamen *Plittaci* illo pro cibo grato utuntur sine ullâ laxatione, quemadmodum coturnix vescitur *Helleboro*, sine purgatione. Quod attinet 1. *SEMEN* est album & magnum, consistans intrinsecus pulpâ eleganti, *purgat fortiter humores crassos, viscidos & mucilaginosos*, unâ cum alijs: unde convenit, ubi primæ viæ sunt obfesa crassa & viscidâ mucilage, uti etiam in *pettoris affectibus*, in *asthmate* & *Tussi* à crassa & viscidâ materia ortis. In substantiâ raro adhibetur, nisi sub formâ Emulsionum. Cum ∇ . vel decocto appropriato sem. feniculi, anisi, Cinnamomi in purgans elegantissimum redigitur, à ℥j. ad ℥iij. quæ est gratæ potionis & potenter id, quod molestum est expurgat & evacuat. Vid. de Emulsionibus *FREITAG. Aurora. Med. cap. 21. p. 482.* aliâs in substantiâ raro aut nunquam adhibetur, sed vel in infuso vel in decocto, ab ℥ss. ad ℥vi. *FLORES* ad ℥j. etiam *purgant*, & specificè convenire dicuntur in morbo regio sive *Ictero*: Unde flores *Calendulae* & hi specificum constituunt remedium contra *icterum flavum* & *Epatis obstructions*, si ex iis paratur *CONSERVA*: ex signaturâ in *Ictero* convenire dicuntur propter colorem flavum. Aliâs lentè & difficulter operatur cnicus. Solet etiam in Clysteribus præscribi, ubi opus est forti purgatione & revulsione à capite in *affectibus capitis*, *Caro*, *apoplexia*, *Epilepsia*, *Lethargo* & quidem in principio. *EXTRACTUM* solet imprimis extrahi cum ∇ . spirituosâ vel cum ∇ . & spiritu anisi, corticum aurantium &c. & vim purgantem continet à ℥ss. ad ℥j. sub formâ pilularum solet etiam exhiberi. *ELECTUARIO de Carthamo* ultra ℥vi. raro

fit ascensus, utat *AUCTOR* habeat ℥j. quod tamen falsum. **CASSIA.**

ET quidem *CASSIA FISTULA*. Nam gerit fistulas in quibus succus niger reperitur, qui est usitatus. Habemus enim tres *Cassias* in officinis. 1. *CASSIAM VETERUM*, quæ est verum *Cinnamomum* modernorum. 2. *CASSIAM POETARUM* sive *Canellam*, & 3. hanc *LAXATIVAM* nostram, quæ de agimus. Dicitur in specie *CASSIA ÆGYPTIACA*, it. *ALEXANDRINA*: Nam duplices sunt *Alexandrinæ*, una est Orientalis, altera Occidentalis, vid. *VORMIUS, in Musæ pag. 144.* Orientalis purgat, minimè verò Occidentalis, utut contrarium statuatur *AUCTOR*: videbitis hoc confirmatum in *BARTHOLIN. Cent. 1. Epist. p. 8.* quod nimirum Orientalis tantum purget, non verò Occidentalis. Ex hac *Cassia fistula* recipitur fistula & ex ea elicitur succus vel nigra medulla, quæ solet adhiberi pro scopo purgativo & quidem est e iis, quæ *clementer & leniter solent laxare alvum*: In *affectibus biliosis & febrilibus*, uti vocant *biliosis* laudatur. Hoc tamen habet vitii succus expressus, quod soleat fermentare & inde inducere tormina & flatulentias: sunt qui volunt adhibere pro purgatione prægnantium: item specificè commendatur in iis, qui *laborant stranguriâ*, quoniam est diureticum. Contrariatur autem rectè *HOEFFERS, in Hercule Medico* & negat: In gravidis enim metus propter flatulentiam est, ne menses cieat, & abortum provocet. Cæterum non tantum pulpa intus contenta solet purgare & evacuare, sed etiam interstitia lignola inter pulpam conclusa, id quod casu fuit inventum: Nam cum talis cortex fuisset projectus *simix*, invenerunt eum, & ex illo devorato foris purgata fuit, cortex, in quo fuere interstitia & pulpa, solet *ciere menses & fetus exclusionem promovere.* In *Pleuritide* specificè commendatur usus *Cassiae fistulae*, & ℥j. hujus succi sive medullæ extractæ laudatur in principio pleuritidis, quoniam simul *spiritum egregiè promoveat.* Usitata ex præparatis sunt *MEDULLA*: ex se *Cassia* nunquam præscribitur, sed sub nomine *PULPÆ Cassiæ* recenter extractæ, nam brevi post extractionem acescit, & auget tormina inducitque multa symptomata: unde semper extrahitur, quando adhibetur in usum, modus vid. ap. *AUCTOREM*, qui satis clarè est descriptus. In adultis datur ab ℥j. ad ℥iij. utut apud nos raro usurpetur. In Italia ad ℥iij. propinari solet frequenter, sed est nause abundantum remedium. Cæterum utut valdè commendetur *Cassia* ab auctoribus, multum tamen ipsi detrahit *QUERCETANVS*. Dicit enim malignum esse remedium, ne quidem purgare nec laxare, sed quod dum tractetur cortex & destillatur, dat liquorem *causticum & corrosivum*: Unde sit ridiculum, quod omnes in affectibus urinariis & stranguria illum convenire asserunt, utpote quos potius auget, quam imminueret, rarum est apud nos medicamentum, interim tamen in Italia & Gallia frequenter usurpatur, copiosos autem producit flatus.

CATAPUTIA MINOR.

QUæ etiam vocatur *LATHYRIS MINOR*. Nam major est, quæ dicitur *Ricinus* quo de impostarum. Minor est *Lathyrus* planta tota lactea, cujus lac est *causticum & corrosivum*. Hæc subministrat nobis tantum *GRANA*; nam propter vim *causticam & corrosivam* impossibile est, ut adhibere possimus folia: *violenter sursum* & *deorsum purgant*, & propterea raro vel nunquam adhibentur nisi ab Empiricis, gr. 10. vel 12. à putaminibus mun-

data